



## DISPUTATIO THEOLOGICA DE ANGELIS.

### §. I.

**D**isputaturo præparatorie ad S. Cœnam, primo atque præcipue incumbere videtur, ut *Exercitationum sacra-rum* inassueto demonstrem, hanc de ANGELIS tractationem non minus, quam alias, præparare ad sacram Cœnam.

§. II. Quam in rem suppono, vere dixisse Aristotelem in initio L. I. de *Anima*: Την της ψυχης ιδειαν ευλογως αν εν πρωτοις τιθειμεν. Δοκει δε και προς αληθειαν απασαν η γνωσις αυτης μεγαλε συμβαλλεσθαι: *Historiam de anima inter primos merito collocare oportet.* Videlur autem Ε ad omnem veritatem cognitio ejus magnopere conferre. Quid autem magis docet naturam animæ, quam mens à corporis mole liberata: Ex hac demum disces illud nobile argumentum, quo Cartesii Philosophia præ aliis caput effert, mentis & corporis naturam esse toto differentes cœlo: ut misere hæc post *Spinosam* misceat Cl. Clericus.

§. III. A definitione incipiens, quæ tutissima est via evitatis Logomachiis ad veritatis ανεροπολιν perveniendi, dico, me disputare de mente à corpore soluta, quæ secundum S. S. ad id est creata, ut ministret homini ad gloriam Dei, ita describuntur à Paulo in Epistola ad Hebræos Cap. I, 14. *Nonne omnes sunt ministerii mune-*